

B. M. II, 113.  
h. 2519.

X 187 9292

II A  
2824

5.  
I. N. 7.

DISPUTATIO POLITICA  
DE

# JURE MONETARUM


*Publice ad ventilandum proposita.*

M. CHRISTIANO LYSERO  
LIPSIENSI,

*Respondente*

AUGUSTO RÖHNER.

*ad diem 18. Maji. horis antemerid.  
In Auditorio Philosophorum.*



WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI Acad. Typog.  
ANNO MDC L.

C 5



V I R O

*Nobilissimo Amplissimo Consultissimo ac Prudentissimo.*

DN. JONÆ SCHONLEBEN. Hæredita-  
rio vff Langenbunne Serenis. Elect. Saxon. Decumano dignis-  
simo ut & Reipub. Freibergens. Consuli  
meritissimo.

*Dn. Patrono, Mæcenati, Promotori atq; Avunculo suo magno omni observantiæ  
cultu atatem devenerando.*


*Nec non.*

*Amplissimis, Spectatissimis, insigniq; rerum experientia Celebratissimis Viris  
Fratribus Germanis.*

DN. AUGUSTO ROHDE Serenis. Elect.  
Saxon. Discretorii in Grünthall Præfecto di-  
gnissimo.

DN. CONSTANTINO ROHDE Ejusdem  
Serenis. Elect. Saxon. Monetariorum Dresdensium  
supremo Magistro meritissimo.

*Dn. Parenti ac Patruo filiali Patrueliq; reverentia cultu  
venerandis.*



AUGUSTUS ROHDE.



I. N. J.



Logiorum omnium ac singulorum, quibus *Numus* insigniri solet, Catalogum proponere meditati difficillimum, meo quidem *Judicio*, videtur statuere, non unde incipere sed ubi desinere debeat. Tanta n. illorū præstantia tanta copia, ut neq; possit quisquam illustriora confingere, neq; omnia in tam exiguo chartæ spacio depingere, sed aut ab ipso multa aut ipsum à chartà desereri necesse sit. Illustre sanè est, quando *Indicium* & *Nota boni Principis* appellatur ab *Illustrissimo Landgravio Hassiæ Philippo*: qui sæpissimè vernacula nostra dicere solitus fuit. Man sol einen Fürsten kennen bey reiner Strassen/ guter münz und haltung geschehener zusag. Egregium est quando *medium permutati- onum summè necessarium* audit ab *Aristot. Eth. 5.* Insigne est quando *rerum gerendarum nervus, fundamentum Principatus Romani, Robur Patrimonii, Remedium humane indigentie quod omnium rerum vicem subit, Alter hominis sanguis, & spiritus à præclarissimis Autoribus nominatur.* Nec minus præclarum est quando *Jus monetae* & quæ ad illud pertinent, in Imperio nostro Romano dicitur *regale* & *Articulus aliquis principalis & primarius* eiu *Hauptartikel* / qui consultatione & deliberatione in omnibus ferè Comitibus dignissimis fuit habitus, id quod in Imperii *Recessibus* sæpissime legere est. Hoc præprimis *Elogio* inducti constituimus *Jus monetae* ab aliis satis prolixè explicatum paucissimis thesibus includere & ad disputandum publicè proponere. Quod ut pro voto succedat, annuat summus *Monarcha Deus.*

Th. I.

*Jus Monetae est summa de Moneta statuendi potestas primo illi soli, qui Majestatem habet competens. Duo hic sese objiciunt discutienda, Objectum, quod est Moneta, per definitionem ac species à nobis explicanda, & subiectum, cui scilicet jus hoc conveniat.*

A 2

Th. II.

## Th. H

Cum a. cognitio rerum à verborum cognitione dependeat nominalis utiq; definitio præmittenda erit. *Monetars à monendo* dictam communis est Eruditorum sententia, quoniam de quam plurimis rebus eà utentes solet admonere; *omnes* enim de valore s. precio monet, signatque nihil fraudis in materiâ signo vel pondere subesse; *Subditos* de subjectione, quam illi cujus effigies monetæ impressa est, debent: id quod haud obscure innuitur à Salvatore Matth, 12. v. 19. 20. 21. & illo vulgari: Numismata sunt summi obsequij signa; *futura a. secula* de nostris temporibus, de Authore, precio vel aliis rebus admonet. Quin imò ipsius insolita mutatio vel depravatio plerumq; magnas in Republicâ mutationes solet præfigere, nosq; de iis admonere, id quod modernum, proh dolor! seculum abundè satis demonstravit. Per *monetam* autem non significamus *Junonem*, quæ propter monitum quoddam à Romanis Moneta dicta est; *nec Uterum* qui à Macrobio appellatur Moneta, quod ibi materiæ destinatæ imago hominis imprimatur; *nec locum* illum, ubi Numus excudi consuevit, qui alias officina monetaria dicitur, *sed metallum certæ ponderis, valoris ac signature.*

## Th. III.

*Synonyma* hujus sunt *Numus, Æs, & Pecunia.* *Numum* quidam *geminato M.* Scriptum derivant à Græco *νῦμος*, certo numismatis genere in Republica Tarentinorum, in quo imago Tarentis Neptuni Filii Delphino (alii equo) insidentis impressa fuerit: qualem se habuisse memorat *Wileb. Schnel. tract. de re num.* Vocem *Numi* per *simplex M.* scriptam alii à Numâ Pompilio Rege Romano, cui omnium primam æris significationem vendicant; *Alii* à numero, quod *Numi* functio non minus numero constet quam pondere, ut habet, *Schonborn. lib. 4. Pol. c. 30.* *Alii* qui nobis maxime probantur, *ὄνο τῆ νόμος* deducunt, cum non à Naturâ sed legibus suam trahat originem, ac principi potestas certas de eo leges sancienti sit concessa; quæ sententia desumpta est ex *Aristot. lib. 5. Ethic. ad Nicom. cap. 8.* Quamvis a. propter diversam hanc descriptionem (posteriorem tamen censemur optimam sequenti

Quoti *Betm. in Orig. & Martin. in Lexico Phil.*) nemini bellum  
velimus movere, non tamen approbare possumus *opinionem*  
*Quorundam* qui ex diversitate descriptionis diversas quoq; colli-  
gunt significationes, & voce Numi simplici M. scripta tanquam  
generaliori, quodlibet Numisma s. aureum s. argenteum s. æ-  
neum: At gemino M. signata argenteam tantum monetam no-  
tari tradunt; Cum *utriusq;* generalem significationem esse & quoti-  
dianus usus & plerorumque probatissimorum Authorum testi-  
monium comprobet. Non a. Numi significatum hic restringi-  
mus ad certam quandam, quæ inter minimas est, & Germanis  
*Psennig* dicitur, Monetæ speciem, sed in genere cujuscunque  
materiæ, formæ, aut pretii numisma intellectum volumus.

Th. IV.

*Æris* vocabulo olim omnis Numus utpote ex ære factus  
veniebat, atq; hinc etiam post receptum argentei & aurei Numi  
usum antiqua æris appellatio fuit retenta, ac etiamnum hodiè  
generale est, & omnis generis ac materiæ Numos denotat, qua  
ratione etiam usitata est appellatio æris alieni, æris sui, &c.  
quamvis de argenteis vel aureis numis agatur.

Th. V.

*Pecunia pecudi* suos debet natales, non quod per pecuniæ studi-  
um homines pecudibus uniantur, vel similes reddantur, prout  
existimat *Iohan. Georgius Betanus, l. 8. antiquit. Antwerp. pag. 895.*  
quem deridet ac refutat *Lipsius l. 2. Elect. c. 2. pag. 18.* Sed quoni-  
am veterum opes ac peculium ac tota pene substantia in pecu-  
dibus subsistebat, nec non pecudibus, quævis necessaria sibi  
comparabant, juxta illud *Ovidii 5. Fast.*

*Accipitur a. vox pecuniæ aliquando ita late, ut vel quaslibet res*  
quæ in alicujus patrimonio continentur, s. mobiles s. immo-  
biles, s. corporales, s. non corporales denotet, vel etiam eas tan-  
tum, quæ numerari, ponderari, aut mensurari possunt. Sic pe-  
cuniæ publicæ s. res fisci appellantur proventus, redditus, tributa,  
vectigalia, & reliqua id genus, quæ in compendium veniunt  
Reipublicæ, cum pecuniæ nomen omnes complectetur res, quæ  
in patrimonio sunt, quæq; Numo functionem accipere possunt,  
inquit:

inquit: *Tholof. l. 3. syntag. c. 2. n. 3.* Aliquando a. & sic etiam hoc loco, *in strictiori & specialiori significatione*, pro auro, argento, vel aliò metallo signato accipitur, & apud Nos *Gelt/ à gelsen/ i. e.* valere, æstimari, dicitur. Non a. hoc volumus quasi vox pecuniae, accuratè loquendo sit *planè Synonymum* Monetae & Numi, & quasi de eo, quod Numus dicitur etiam pecuniae notio eodem se licet modo possit prædicari, sed hanc damus distinctionem, quod *Moneta & Numus sint voces generales, quæ omnes species sub se continent, ita quidem ut immediate de illis etiam distinctis s. divisim consideratis, & in casu recto prædicari queant, atq; hinc rectè dico, ternarius, grossus, Joachimicus est Moneta, est Numus; At Pecunia comprehendit sub suo significato omnes species, sed tamen hac ratione, ut de illis non nisi mediatè & in casu obliquo, vel etiam de conjunctis, s. de multitudine, & multis speciebus conjunctim spectatis possit affirmari; sic minus rectè dicitur, ternarius est pecunia, sed vel ternarius est numus pecuniae, vel aliquot ternarii sunt pecunia, ut ita strictè loquendo, Numus significet ipsum suum corpus, ut quot corpora sint, tot etiam Numi, non a. unus Numus in individuo sit Pecunia, sed summa Numerorum collectim sumtorum, qua de causa illa summa, quæ traditione unius speciei præstari non potest, sed aut pondere aut dinumeratione fieri solet Pecunia dici consuevit. Sic apud Græcos Minam & Talentum, apud Romanos Libram, & hodie apud Nos Tonnam auri, non Numum & Monetam, sed Pecuniam appellitari debere asserit *Josephus Scal. dissert. de re numaria.**

Th. VI.

Proposito jam nomine ad rem ipsam accedimus propius & definimus *Monetam, quod sit lamina metallaris auctoritate Magistratus commerciorum expediendorum gratiâ certâ estimatione ac signatura formata. Quæ singula erunt explicanda.*

Th. VII.

In genere tradendo haud leviter discrepant Autores. *Quidam per quantitatem, id est, nudam æstimationem, inquâ totam ejus essentiam consistere asserunt, definiunt, à quorum partibus stare non possumus, cum genus à formâ desumant, & materiam*  
ad to.

ad totius compositi essentiam pertinere, negent, & omne, cui modo valor aliquis sit impositus pro Moneta agnoscant. *Alii rem corporalem verum & accuratum Monetæ genus, dicunt quorum sententia in foro Philosophico non videtur approbanda. Quamvis enim concedamus, Monetam esse tale quid, quod potest tangi, esse rem mobilem, esse corpus quoddam, & sic etiam esse rem corporalem, deniq; materiã ejus, metallum scilicet esse corporale quid, non tamen ex hinc nobis poterunt persuadere Rem corporalem esse verum Monetæ genus, quoniam non observatur Canon ille Aristot. 6. Topic. 5. Genus proximum in definitione ponatur. Alii pecuniam, quatenus non in specie æs signatum, sed in genere corpus & quantitatem denotat, pro legitimo genere venditant. Cujus inconuenientia ex Thesi 5. est manifesta. Nos à materiã proxima genus desumimus & dicimus laminam metallicam, quibus verbis & materiam, quæ metallum est & modum, quo ante signationem præparari debet insinuamus, de quibus paulo post. Nec adeò inconueniens erit generis loco materiam ponere, cum hac ratione imitemur, definitiones perfectas substantiarum prædicamentaliũ, de quibus habetur Canon Logicorum: In definitionibus substantiarum genus sustinet, vicem materiæ, differentia formæ, non quasi perfectam & omnibus Logicorum regulis exactè congruentem definitionem tradiderimus, ea siquidem non est, nisi eorum, quæ in certo sunt prædicamento, inter quæ Moneta, utpote arte facta & composita per accidens (ex substantiã scilicet & figurã) non est recensenda, sed sufficit Nobis aliqualis descriptio, quæ quantum fieri potest, naturam & causas Monetæ, prout hodie datur, explicat.*

Th. VIII.  
Cum autem in omnibus omninò rebus & negotiis Origopotissimum attendenda sit, non erit inconueniens prius de ea quædam proponere quam ad ipsam causarum explicationem accedamus. Et quidem *alii Tubal Cain; Alii Noacho; Alii Thabreti Patri Abrabæ; Alii Naxii; Alii Ægyptis vel Lydis; Alii Phidoni; Alii Erychtonio; Alii Thesæo.* Apud Romanos *quidam Saturno, quidam Jano, quidam Numæ,* Alii & pleriq; *Seruo Tullio* tribuunt

buunt, quod primus æs signaverit. In tanta Sententiarum di-  
versitate, quandam eligere ac reliquis præferre nostri instituti  
non est; Sed cui libet suam linquimus defendendam hoc tan-  
tum modo dicentes, *Originem monetæ ad primas gentes, quæ com-  
munibus commerciis uti cœperunt, esse referendam.* Cum enim olim  
locum haberet permutatio, qua merces cum mercibus permu-  
tabantur, sæpissimè autem accideret, ut ex terris nimis remo-  
tis merces aliæ tanto cum fructu ad loca remota transferri nõ  
potuerint: hinc Numus tanquam instrumentum quoddam  
transportationi magis aptum inventus est, & quidem necessa-  
rio ut probat *Clar. Wendelerus lib. 3. Phil. pract. sect. 1. cap. 1. quest. 1.  
pag. 797. Non quidem quasi uno eodemq; tempore omnes gen-  
tes Numum introduxerint: ejusque usum receperint, cum di-  
versos populos diversis temporibus numos percussisse ex dictis  
non sit obscurum; sed quod ab aliquibus gentibus primo inven-  
tum & inductam monetam cœteri populi omnes tacito consensu  
approbarint & receperint, Atque hinc est quod ista *Inventio* &  
quæ ad Eam spectant, *non Juris Civilis, sed Juris Gentium* esse  
statuatur à plerisque Cum enim usus monetæ omni humano  
genere aut ad minimum sanioribus & præstantioribus sit  
communis, atq; usu exigente & humanis necessitatibus à gen-  
tibus humanis constitutus, (quæ est definitio Juris Gentium.)  
non poterit non ea Juris Gentium esse. Cum in super & de  
Abrahamo Gen. 23. dicatur: quod solverit 400 siclos probatæ  
monetæ publicæ, vel ut Santes vertit, transeuntes per mercato-  
res, jam v. tunc nondum erat statutum certum Jus Civile, nec  
etiam ad usum certæ Civitatis refertur ea probitas & æstimatio,  
sed ad usum mercatorum, qui per diversas provincias negociari  
tunc quoq; solebant, quorum mentio fit Gen. 37. Igitur tantum  
+ Juris Gentium erit, scil. *quoad materiam, signaturam & æstimati-  
onem generaliter consideratum; non v. quoad certam legem, quoad  
certum modum signandi & quoad valorem, quæ hodiè ad Jus Civi-  
le accedunt.* Ista distinctio si observatur facilis est responsio ad  
argumenta, quæ pro contraria sententia urgeri solent, adducta.  
à *Bocero tr. de J. Monet. c. 1.* Potest enim omnino aliquid ratione  
sua*



suæ originis esse Juris Gentium, quamvis postea à Jure Civili ei aliquid addatur, & certus modus rei præscribatur. Sicut Jurisdictio Juris Gentium est, licet Magistratus & judicia itemq; formæ & distinctiones judiciorum postea ex Jure Civili emergerint.

Th. IX. *Causam efficientem in principalem & minus principalem seu instrumentalem distinguimus. Principalem dicimus illum, qui jus & potestatem monetandi habet, de quo infra Th. 17. Instrumentales sunt Monetarii s. omnes illi, qui circa monetam operantur & laborant, qui olim erant viles & abjecti negotiatores, qui ad publicum & perpetuum cudendarum monetarum laborem tenuis lucelligratia sese in certo collegio adscribi curaverant, quiq; semel ad talem vitæ conditionem adscripti, & assumpti ad honores vel alia officia adspirare, neq; etiam ex illo corpore aut collegio aliter quam si à Principe impetrassent, sese eximere potuerunt; hodie v. habentur pro honestis & ingenuis hominibus, qui etiam certis fruuntur privilegiis, & ab omnibus contributionibus immunes & exempti sunt à Maximil. II. Imperatore R. Isti a monetarii gradu & officiis inter se distinguuntur: & supremus eorum dicitur *Præfectus, s. Magister monetalis*, qui omnibus reliquis præest, ac de omnibus monetis fabricatis rationem reddere tenetur, qui etiam nomen suum vel signum s. asterismum, vel notulam solet monetis addere, tum ut hisce bonas à se confectas esse testetur, tum ut olim possit constare, quas ipse monetarum sortes procuraverit. Tales Romæ olim erant *Triumviri Monetales* sic dicti, quia his tribus metallis, auro, argento & æte flando vel flatu calefaciendo monetam cudi curarent. Dicebantur etiam *mensarii* & officium eorum, referente *Livio*, erat numulariis & monetæ omnis generis cusoribus præesse. Secundū locū obtinet *Wardinus, s. Guardianus*, qui alias *Documastes, Æstimator, censor, Probator* & olim *Zygostata* dicitur, qui probare debet & ponderare Monetam, atq; pro fide sua & industriâ dubitationes & contentiones dirimere. Succedit *Sculptor formarum ferrearū*, cujus officium est, formas ferreas, quibus monetæ signantur, fideliter sculperere, & nihil quicquam fraudis circa eas, vel contra edicta monetalia committere. Cæteri minus honorati sunt, *ministri & famuli**

B

*muli monetarii*, qui in archyrocopio varias operas præstant, & archyrocopi iussa exsequuntur. *Locus*, ubi hi monetarii operas suas exercent, *Moneta vel officina monetaria* ab aliis *Archyrocopium* appellatur.

Th. X. *Materiam* quod attinet, olim ex variis rebus numi erant confecti. *Coriaceâ* enim *Moneta* usi sunt Spartani. Sic *chartaceam* percussam esse testatur *Volateranus* & *Budelius*, qui asserit se vidisse talem Lugduni Batavorum tempore obsidionis. anno 1575. confectam. Sic Tartaros Catharinos quadratos Regisq; sigillo impressos Numos tales habere, hosce verustate ab sumptos in aulam Regis referre, ac pro iisdem novos accipere refert *Arn. l. 2. de J. M. c. 7.* Quin etiam ex variis metallis haud ita magni pretii numos confecerunt antiquitus, ex *ferro* Spartani, ex *stanno* Syracusii, alii ex *Orichalco*, e *plumbo*, ex *electro*, de quibus vide *Reverera Budel. tr. de mon. & re numma. cap. 1.* Nos dicimus in casu summæ necessitatis v. g. tempore belli, obsidionis, ex talibus rebus & metallis fieri posse monetam s. potius id, quod monetæ vicem præstat, sed non nisi extraordinariè, *ordinariam a. materiam metallum* dicimus, non omne sed *selectum & electum*, præstantissimum, quod non modo durabile est & tractationem sive fabricam & mixturam facile admittit, sed & quod magis dilectum & sui bonitate omnibus metallis antecellit. Tale est *aurum*, *argentum*, & *es*, illa tria AAA unde Triumviri olim dicti putantur. *Romani* siquidem *ferro non utebantur*, quod & difficulter fundatur, & cum æruginem facile concipiat, seivare pondus legitimum non possit, eadem de causa *neg. stanno, neg. plumbo*, in numis sunt usi, ne scil. assidua tractatione detereretur, legitimi. que ponderis aliquid deperderet. Illa v. *non requirimus pura & mera*, quasi nihil alieni vel heterogenei admixtum habere deberent, qualia etiam in summo gradu non quidem natura reperiri, verum tamen arte effici posse oculata experientia eruditi, asserimus, parum curantes quorundam contradictionem; atq; ex hoc purissimo metallo, quod nobis dicitur *Edtig Gold / Edtig Silber* etiam monetam confici posse nulli dubitamus, imo primam monetam ex puro metallo fuisse formatam, constans quorundam est sententia; *hodiè* tamen ubivis locorum ferè metalla solent *misceri & quidem auro argentum & es additur*, tum ad firmandam

dā duritiem & ne contrēctatione assidua conteratur, tum ne nimium rubeat color, nec albeat nimium; in *argenteis* numis *aris* *mixtura* introducta est, non quidem necessitate sed potissimum ad compensationem expensarum monetarum. Occasione huius puritatis & impuritatis *moneta* alia dicitur *primi gradus seu optima*, quæ non ex mixto sed puro auro argenteo effecta est; alia *secundi gradus s. melior*, quæ à priori bonitate paululum recessit; alia *tertii gradus s. bona*, quæ adhuc magis à puritate abiit.

Th. XI. Ad materiam igitur, quando non pura sed mixta est, pertinet *Liga & pondus*, quæ apud Nos *das Gehalt und das Gewicht* dicuntur. *Liga* alias mixtura & temperamentum, *die Schickung* *das Gehalt* dicta resultat ex compositione metalli & additamenti. Estq; qualitas (alii addunt intensiva quod videtur superfluum) quædam materiæ metallaris, quæ naturaliter atq; inseparabiliter secundum gradus puritatis analogicè est unita, & habitudinem relativam nuclei & additamenti efficit. Atq; sic duo *in ligantur*, quæ respectum ad se invicem dicunt; *Nucleus* scil. qui est metallum purum, quod in moneta habetur, & dicitur *horn* & *additamentum*, quod est vilius metallum, quod in moneta metallo puro additum est, dicitur *Schrott*. Hæc respectum ad se invicem dicunt & proportionem quandam, ne scil. huic vel illi granum quoddam vel desit vel supersit, sed accuratissime servanda est, secundum *pedem monetalem* sive normam & regulam huic mixturæ præscriptam, quâ de re consulantur artis huius periti, qui *ligam* distinguunt in *fortissimam s. primi generis*, quando numus habet multum nuclei, & parum additamenti; *tenuiorem s. leviolem*, & *secundi generis*, quando nucleus decrescit & additamentum crescit & quando numus tantum habet additamenti quantum nuclei; & *tenuissimam s. levisimam* & *tertii generis*, quando numus multum habet additamenti & paucissimum nuclei. *Pondus* quod etiam ad materiam spectat, & à nonnullis nimis absurde *Schrott und horn* dicitur, est qualitas (alii qualitatem extensam dicunt, quod contradictionem in adjecto implicat) materiæ monetalis inseparabiliter illi inhærens secundum quam numus vel gravior vel levior dicitur. De variis ponderum generibus vid. R. Budelius l. 1. de *Monetis & re numaria*

riac. 14. Huc quoq; pertinet *quantitas* Monetæ quæ est extensio & magnitudo illius secundum quam alia magna, sive grossa, alia parva dici solet.

Th: XII. *Forma* monetæ *alia essentialis est alia accidentalis*. Illa in valore s. *æstimatione*, & *characteris impressione* consistit. Quidam totam essentiam & rationem Monetæ in hisce duobus vel unice putant consistere, nullamq; habendam esse materiæ rationem, an sit ex pretiosiori an v. ex utiliori metallo, & sic Monetam in quantum Monetam illis dicitur ipse valor impositio, & quantitas, quæ illis eadē est ac æstimatio, qua intelligitur & significatur quanti numisma quodlibet locabile sit. Verum quo minus huic sententiæ nostrum adjiciamus calculum, *obstat tum* natura substantiarum, & in specie corporearum, quæ materia & forma gaudent, harum enim essentia ex causis internis constans, nunquam una quadam causa, vel materiali vel formali absolvitur, sed utrâq; simul; *tum* consequens absurdum, dari scilicet corpus quoddam cujus essentiam sola constituat forma, exclusâ materia, quod absurdissimum, imo hodie in nostro Imperio materia & pondus sæpe magis attenduntur quam æstimatio & character; *tum* Autoritas *Philosophi 1. Pol: c. 9.* ubi ad monetæ materiam requirit, ut sit ex numero utilium, adeo ut quamvis monetæ valor esse desinat, utilitatem tamen omnem non amittat, at si solus valor constituit monetam, posset ille imponi rei vilissimæ & plane nullius usus v. g. globæ terrenæ, cortici &c. atq; hinc si valor expiraret, etiam omnis utilitas abesset, quod maximū ad cives deferret in commodum. Dicimus a. *æstimationem sive valorem monetæ*, qui aliquibus *valuatio* *Berdierung* appellatur (quamvis propriè loquendo hac sit comparatio & collatio nummorum antiquorum cū recentioribus; ille vero pretium, quod per & propter alvationem nummo imponitur) pretium laminæ cujusdam metallicæ publica autoritate & per publica proclamata definitum ita, ut recusans capere pro tanto valore pœnam capitis vel aliam incurrat, atq; hæc æstimatio non unius est generis, sed *alia activa*, quæ communi Gentium consensu monetæ tributa est, perquam ipsa metitur ac mensurat omnes res; *alia passiva*, quando ipsa mensuratur, & æstimatur, quæ

prima-

primario hic est definita. *Signatura* quæ ad quantitatem demon-  
strandam & ut à mensura liberi essent inventa est teste *Arle. l. 1.*  
*Pol. c. 9.* cum olim non signata sed rudi massa uterentur, & om-  
nia pondere mensurarentur, tunc quidem non fuit de essentia  
monetæ; hodiè v. ad eandem pertinere videtur ob consuetudinè  
inmemorabilem, quæ omnis moneta, quæ signata non est, pro  
moneta non habetur, & est characteris seu imaginis, nominis,  
tituli aut symboli aut alterius cujusdam rei publica lege ab eo  
qui numum cudi curat, designati impressio, ut sit quædam veri-  
tatis in substantia & Justitiæ in pondere testificatio atque ut per  
eam discernatur, cujus sit Regni, cujusq; civitatis, quis illam  
& cujus autoritate percusserit, quæ maximum in detegendis  
fraudibus momentum habent. *Modi* quibus signatura ista fi-  
eri solet sunt præcipue duo nempe *fabricatio in mola* & *per malle-*  
*um*, hinc *monetæ aliæ sunt turculatoriæ, aliæ malleares*, de quibus  
videatur. *Job. Kitzelius Tr. de J. Monet. Sect. 1. Theor. 10. Accidenta-*  
*lis forma*, quæ plane extrinseca est, consistit in magnitudine & fi-  
gura, quæ aut quadrata, aut ut plurimum orbicularis esse solet.  
Quæ v. ratione materia prius *preparanda*, quomodo in bra-  
ctæas & laminas diducenda, quomodo circumcidenda vel ra-  
denda, ut formam istam cum pondere congruentem sortiatur,  
id multis persequi & declarare nostrum non est, sed à Monetari-  
is addiscendum.

*Th. 13. De usu & fine monetæ* cum ex definitione satis constet non  
possumus adeò iniqui esse ut numum cum alijs dolosum et om-  
nium scelerum materiam vocitemus, sed potius remedium hu-  
manæ indigentiaè utilissimum ac nobilissimum quippe cujus fi-  
nis primus & *primarius est commodior rerum permutatio & commer-*  
*ciorum tractatio*. Cum enim à remotioribus quæreretur auxi-  
lium importando illa quibus indigebant & exportando illa  
quibus abundabant necessariò introductus est numi usus, qui  
medium quoddam erat, quo ea quæ inæqualia erant ad æquali-  
tatem reducerentur, ut habet *Aristot. 5. Ethic. c. 8. & lib. 1. Pol. c. 9.*  
Quem insuper hodiè ad huc maximè insignem nobis ac Rebus-  
publicis omnibus præstet usum tam pacis quam belli tempore,  
in contractibus tum in alijs actionibus nemini non potest  
non manifestissimum.

Th: XIV. *Affectio Monetæ inseparabilis est Bonitas, quæ à plerisque distinguitur in intrinsecam & extrinsecam, quamvis in explicacione horum terminorum maximus inter eos sit dissensus; adeo ut quam alij dicunt intrinsecam bonitatem, quidam extrinsecam, & quam alij extrinsecam, quidam intrinsecam indigent; intrinsecam dicunt alij consistere in materia pondere & caractere, (pro quo alij substituunt formam) extrinsecam v. in valore & aestimatione. Alij intrinsecam ponunt in liga & pondere, extrinsecam in valore impositio & caractere; (quidam etiam tantum in precio) Alij intrinsecam dicunt existere in materia metallica, liga & forma impressa, extrinsecam in valore. Quidam extrinsecam dicunt eam, quæ ab initio & vi naturæ connata est; extrinsecam v. quæ mediante facto hominis vel legis est introducta. Verum quo cunque modo explicetur, si intrinsecaratione materiae, extrinsecaratione formæ dicatur, non possumus cum illis facere. Nulla enim Nos urget ratio, cur ea quæ formæ sunt essentialia non eadem ratione dicamus intrinseca composito, qua ratione intrinseca dicimus ea, quæ cum materia essentialiter coherent, cum utriusq; eadem sit ratio & utraq; interna sit causa; quin eodem modo sequeretur intellectum humanum, qui pertinet ad formam hominis esse illi extrinsecum non intrinsecum, cuius absurditas vel lippis & tonsoribus nota est. Et quoniam bonitas formæ est qualitas monetæ, quæ ejus essentiam concomitatur, ita, ut ablata bonitate formæ moneta desinat esse moneta, hinc Sole meridiano clarius apparet illam huic maxime intrinsecam esse. quo enim ablato res tollitur, illud non poterit esse extraneum sed intrinsecum sit necesse est. Quamvis a bonitas formæ in respectu ad materiam rectè dicatur extrinseca, male tamen dicitur talis in respectu ad totum compositum, de quo hoc loco quæstio est; quod enim extrinsecum dicitur corpori humano non statim propterea etiam extrinsecum est homini. Si a. per intrinsecam bonitatē intelligatur bonitas materiae & formæ, & per extrinsecam bonitas quæ ab efficiente & fine oritur, Nos non habebunt contradicentes, siquidem nostra sententia est, bonitatem Monetæ, prout hodie datur, dependere vel à causa efficiente; quando ab eo qui habet potestatem numos cudendi, per artis hujus peritos in*

In loco monetali publico moneta fabricatur; *vel à materia*: quando moneta fit ex auro, argento, vel ære, ita ut nucleus & additamentum debitam habeant proportionem & sic liga & pondus legibus & præceptis sint conformia. Qua de bonitate ut eo certiores simus, nullumq; nobis superfit dubium inventi sunt certi modi probationis, per coticulam, per acum, per ignem & aquam Chrysulcam & alii de quibus consulantur in hac arte periti. *Vel à forma* quando valor impositus est publica auctoritate, adestq; justa & debita symmetria & proportio (non omnimoda equalitas) valoris ad materiam s. massam metallinam ac legitimo caractere insignita. *Vel à fine* quando non ob dolum, fraudes, vel turpe lucrum, sed salutis publicæ causa numus formatur.

Th. XV. Bonitati opponitur *falsatio monetæ s. adulteratio* quando moneta mutatur & in locum veræ & bonæ falsa & adulterian substituitur; *falsitas ista oritur vel à causa efficiente*, si privatus aliquis vel Princeps etiam vel alius, qui potestate circa monetam non gaudet, propriâ auctoritate format Monetam, etiam si quoad ligam & pondus probam & secundum præscripta constitutionum & sub nomine Principis cujusdam signarit; *vel à materiâ*, si quis alienam substituerit materiam & aureos numos ex orichalco, electro, vel ære, argenteos ex stanno, plumbo vel etiam ferro conficiat; si liga non sit legitima, sed plus additamenti insit quam nuclei, si ponderi aliquid detractum sit, per rasuram vel circumcisionem;

*Circa formam* falsatio contingit, si quis leges publicas valuationis violat, majoriq; pretio numos expendit; quando valor duplo vel triplo excedit massam metallicam; si quis aliter, quam præscriptum est publice figuram vel characterem alterius Principis suo nomine usurpat, aut subscriptionem imaginemve corrumpit. Quicumq; igitur hoc modo Monetam depravant, *falsarii & Adulteri* dicuntur, & incurrunt pœnam ignis vel aliam à Magistratu definitam, si scilicet & delictum hoc consumaverint, vel conatus eorum ~~non~~ fuerint impediti propter scientiam Principis, ita ut infugam convertere se fuerint coacti; Alia a. ratio est, si fabricantem pœnitere inceperit, ita, ut re infecta discedat, tunc enim conatus <sup>non</sup> debet puniri pœnâ ordinariâ, non tamen ab omni pœna liber est, sicut nec is qui falsam monetam pro bona (quamvis ignoranter acceperit) expendit, si enim da-

mnunt

num non fuerit nimis exiguum, ad minimum tenetur illud restituere.

Th. XVI. Tandem divisiones monetæ dantur quâ plurimæ desumptæ tum à causa efficiente, sic alia est Imperatoris, alia Statuum, alia mediatae subjectorum; tum à materia, sic vel est aurea, vel argentea, vel ærea; tum à forma, sic est vel magna, s. grossa, vel minima; tum à fine sic est vel sacra vel profana; tum ab accidente, vel usualis, vel minus usualis & plures alia, de quibus ut & speciebus monetarum vid. Arum. Tr: 5. c. 4 & 5. Josephus Scalig. Diss. de re num. Wileb. Schnel. lib. de re num. Didacus Covar. collat. Vet. Numism. cum his quæ modo expenduntur, & Alii.

Th. 17. Objectum hæcenus vidimus, restat ut & de Subjecto hujus juris quædam adducamus, Subjectum a. s. eum, qui jus monetæ habet dicimus esse omnem, qui Majestatem s. summam potestatem habet, nullumq; superiorem agnoscit, & quidem præcipue ob hanc rationem, quoniam illud referimus inter Jura Majestatis & quidam Majora. Ne autem & hoc omni fundamento destituti asserere videamur, dicimus 1. Jus Monetæ esse tale quid, quod Principi in signum supremæ eminentiæ, autoritatis & excellentiæ reservatum sit, eique ceu caro ossibus inseparabiliter adhaereat, : ita ut etiam inter acclamations noviter electis Principibus hoc fuerit tributum, quemadmodum de Julio Cæsare refertur, inter primarios qui ipsi deferbantur honores non minimum & illum fuisse, quod pecuniam percutere, eandemq; propria sua imagine signare poterat. Sic Jonathan Principi Judæorum à Regibus Syriæ concessum fuit hoc jus in signum libertatis datæ & confirmatæ. Dicimus, 2. quoniam hodie usus Monetarum in Republica aliqua summè necessarius, tum ad commercia & negotiationes, tum ad alios contractus: sine quibus Respublica consistere non potest, utique rei numariæ cura ad omnium supremum maximaque autoritate pollentem Principem atque sic ad illius potestatem & Majestatem referenda est, cum alias valorem ad quem omnes subditi sint ad stricti numis indere non posset. 3. Si potestas leges ferendi pertinet ad Magistratum cur non etiam potestas cudendi monetam, cum & valor & materia & pondus & character legibus sint definienda. 4. Nec ita longè à sententia nostra recedit Aristot: quando



quando lib. 2. Oecon. c. 1. administrationis quatuor dicit esse formas, quarum prima sit *Regia*, quæ vi ac potestate generalis sit & habeat quatuor formas; *numariam* quando faciendum sit, ut Numi pretiosi sint aut viles &c: quibus haud obscure innuit numariam potestatem ad Regiam sive Majestatem reducendam. 5. quia etiam jus monetæ sæpissime appellatur Regale R. J. de anno 1524 §. Dergleichen hat der Münshalter &c. item de anno 1551. §. So haben Wir Uns &c. & eam sententiam tenent omnes fere Politici & Jcti quorum magnum Catalogum recenset *Arnisl. 2 de J. M. c. 7. n. 3. p. 314.* & *Job. Kitzel. de J. Monet. s. 1. th. 5. pag. 48.*

### Th. XVIII.

Demonstrato jam quod jus monetæ inter Regalia sit referendum, colligimus exinde *proprie & primariè* Jus monetam cudendi omni & soli illi, qui Majestatem habet s. Imperator sit s. Rex, s. Populus, s. Optimates s. quivis aliq̄ cōpetere, cum in confesso sit, quod illi, cui totum Majestas nempe convenit, ei partes quoque totius denegari non possint nec debeant, juxta illud vulgatum: Posito toto partes ejus poni necesse est. Hanc itaque potestatem jam olim *Reges Persarum* sibi vindicarunt, quando teste *Herod. l. 4.* aureos Numos sua signarunt Imagine, qui & inde *Darici* appellati sunt. Sic *Thesens* Atheniensis Rex figura bovis signavit monetam, ut refert *Plutarchus in ejus vita.* Sic *Servius* Rex Romanorum primus æs signavit, cum ante rudi uterentur. *Cluv. Epit. Hist. p. 64.* quod jus etiam postea in Imperatores, quando omnis Regia potestas ipsis collata est, simul est delatum, ita ut etiam duo hæc, purpura & moneta, signa Imperatoria dicantur. Sic *Philippus* Rex Macedoniae Numos cudi curavit, qui ejus gestarunt Imaginem & hinc *Philippei* dicerentur. Atque hinc est etiam quod hodie *Pontifici Romano* potestas in suo territorio monetas cudendi jure conveniat, non quidem propter eam, quam sibi in omnia Regna & Principatus arrogat supericritatem, nec propter Donationem, quam à Constantino M. Sylvestro Papæ factam prætendit, (quæ hodie à pluribus non sine ratione negantur.) Sed quoniam hodie nullum quoad suum territorium etiam in se-

C

culari-

cularibus agnoscit superiorem. Eodem jure etiam *Veneti* hodie hanc potestatem sibi vendicant, etiamsi eorum Dux Conradus Badoarius hoc jus ab Imperatore nunquam accepisset. In *Gallia* quam plurimi olim Principes hoc jure utebantur. Vice Comes Turenorum, Comites Marchia, Blæfensium, Niversensium, Pontifex Agathensis, Cadurcensis, Meldensis, Ambronensis, verum his omnibus jus illud Majestatis à Francisco I. Rege Francorum ereptum est & soli Regi reservatum ait. *Rodin. lib. 1. de Rep. c. 10. Reges Hispaniarum* semper sibi hanc potestatem reservarunt, quod abunde constat ex *Pragmatica Regum Catholicorum* sæpius citata in *Didac. Covarruvias à Lyena collatione veterum numismatum cum his quæ modo expenduntur*. In *Anglia* jus cudendæ Monetæ ita proprium sibi habuit Rex, ut etiam Episcopo Cantuariensi jus, quod olim Regibus extorserat, denuò eriperet, nec monetam alibi quam in turri Londinensi insigniri patiatur teste *Carpz. ad L. R. cap. 8. sect. 7. n. 4. pag. 553*. Hinc haud ita pridem *Status Angliæ Rebelles*, cum formam Reipublicæ Anglicanæ immutare & iniquissime trucidato Rege loco Monarchiæ Aristocratiam introducere & eam quæ olim solis Regibus conveniebat potestatem sibi vendicare laborarent, inter prima duxerunt Jus monetæ sibi arrogare, & propterea statim mutaverunt illam, ac loco Nominis, Imaginis & Insigniorum Regionum *in una quidem parte insignia Regni Angliæ cum lauro & fronde palmæ his verbis: In usum civitatis Anglicanæ; in altera insignia Angliæ & Hyberniæ cum hac inscriptione: Deus nobiscum* imprimi & sic aliam monetam cudi curarunt. Sic *Status Belgii*, quoniam hodie armis in libertatem se vendicarunt eaque libertas à Rege Hispaniæ confirmata, jure quoque hanc potestatem sibi vendicant. In *Dania & Svecia* penes Reges tantum jus monetæ esse, nemo nisi forte contradicendi studio videtur negaturus. *Poloni* soli Regi hanc potestatem dicabant, adeò ut, cum Sigismundus Augustus Rex eorum, id beneficii specie Prutenorum Duci, permisisset, Senatus Populusque decreto sanciret jus illud Majestatis ab ipso Rege subdito aut fiduciario tribui non potuisse, quam ob rem & Pontifex Gnesnensis de eo jure quod Regibus

extorserat, jam pridem de pulsus est. De *Hungarorum Regno* scribit *Otto Frisingensis*: Nullus in tam spacioſo ambitu Rege, excepto monetam vel telonium habere audebat *Carpz: l. c. n. 3.* Quin & *Turcarum Imperator* jus hoc nemini concedit referente *Clapmar. l. i. de Arcanis Rerumpublicarum c. 16.*

Th. XIX. In Imperio nostro Romano Germanico potestas hæc est penes Imperatorem & Status Imperii, qui etiam potestatem habens particularia edicta monetalia promulgare, Imperator ex lege Regia (non Pontificis Romani concessione) eam habet, quando sub Augusto Monarchico statu constituto & confirmato, omnis quem populus stante Republica potestatem renuerat (atq; sic etiam jus monetandi quod olim apud Triumviros erat) in unum collata est, quæ & hinc *lex Regia* dicta est quia statum Reipublicæ popularem Regium fecit, transfusa in Cæsarem Romani populi Majestate sunt verba *Lampadii de Rep. Romano Germ. part. 2. n. 9.* atque ex eo tempore Imperatores Romani hanc potestatem sibi semper reservarunt, id quod ex omnibus Historicis latis manifestum est. *Rex Bohemæ & Electores* tam seculares quam Ecclesiastici immemoriali præscriptione jus hoc sibi acquisiverunt, cui acquisitioni accessit Confirmatio *Caroli M. in A. B. c. 10.* Porro etiam ad *Status, ad Arch-duces, Duces, Marchiones, Landgravios & Civitates Imperiales* jus monetandi est derivatum, qui in Constitutionibus Imperii hinc inde, *MünzHerren / MünzStände / und MünzGenossen / so die Münz Freiheit und Münz Berechtigte haben /* indigitantur. Et tandem etiam quibusdam Civitatibus minimis non Imperialibus, *Halberstadio, Rostochio, Brunswiga, Hildesheimio,* & aliis etiam privatis concessum, quarum ut & Monetarum ab iis percussarum mentio fit in *Ordinatione monetali Ferdinandi I. anno 1559.* Cum autem inconvenientissimum sit, ea quæ ad Majestatem pertinent & Regalia sunt etiam aliis, qui Status non sunt, concedere, ideoque cautum fuit, *ne imposterum Imperator solus de re monetaria aliquid possit statuere, neque ulli cujuscunque Status aut conditionis, existat, jus & privilegium cudendæ monetæ citra Electorum consensum concedere,* quod patet ex citata *Ordin. Mon. S. Demnach Uns denn & Capitulatione Rudolphi II. § Wir wollen*

wollen auch hinfüro. Itemque Ferdinandi III. §. 37. Wir sollen  
und wollen auch hinfüro &c.

Th. XX. Quicumque igitur habet potestatem monetæ, is  
etiam omnia quæ ad hoc jus spectant sibi jure attribuit.  
Quantum igitur ad *causam efficientem instrumentalem* penes i-  
plum est, certos constituere monetarios, eosque peculiaribus  
legibus ac juramento sibi adstringere, officinas monetarias  
habere, in iisque monetas fabricare. Sic in Imperio nostro Im-  
peratores & quilibet Status monetalis ipsemet pro lubitu eligit mo-  
netarios, quibus ab Imperatore Maximiliano II. certæ præscri-  
ptæ sunt leges & peculiaria juramenta statuta, quæ antequam  
ad officium admittantur, præstare debent, qualia videri pos-  
sunt, in *Ordinatione probataria Circuli inferioris Saxonie 30. Febr.*  
*anno 1568. Luneburgi facta*, citata à Klitzio *si. theor. II. §. 12.* vid.  
etiam R. J. de anno 1570: §. Darumb zu weiterer Fortsetzung &c.  
Monetas peculiare instituire non fuit cuilibet concessum,  
sed in quovis circulo tres vel quatuor licebat habere, quæ com-  
munes essent, omnibus Statibus, qui auri & argenti fodinas nõ  
habent, *reliquis*, qui tales fodinas in suo territorio habent,  
etiam peculiare officinæ monetales sunt concessæ, per R. J. de  
anno 1570. §. Und dieweil denn. Verum tamen non nisi hac cõ-  
ditione: ut ex eo solum auro & argento quod ex fodinis con-  
sequuntur monetam iis cudere liceat per R. J. de anno 1571.  
Und wiewohi in mehr angeregten. Neque statibus Imperii con-  
cessum est jus istud monetæ alteri cuidam *privato vendere, loca-  
re, cedere, vel quocunque modo alienare, vel cum monetariis pacta il-  
licita inire* cum non modo periculum adulterationis, & sic in-  
gens in Rempublicam incommodum secum ferat, sed etiam  
expresse sub comminatione Cæsareæ & totius Imperii indi-  
gnationis, & amissione hujus Regalis prohibitum sit. R. J. de  
anno 1551. §. So haben Wir Uns auch: Ordin. Mon. Ferdin. an-  
no 1559. §. Ferner als sich anherfinden thut. R. J. de anno 1570.  
als denn auch die Münz Berechtigket & fere in omnibus con-  
stitutionibus imperialibus, quæ tamen hodie proh dolor! à  
quamplurimis non ita strictè observari videmus.

Th. XXI. *Materiam* quod attinet ejus determinatio soli Prin-  
cipi convenit, si enim Monetariis liberum foret ex quavis ma-  
teria

eria, vel etiam ex certis metallis, sed tamen indeterminata liga & ponderis Numos cudere, procul dubio sapissimè fraus ab illis committeretur maxima; ideoq; Princeps certas constituat leges, quibus definiatur & præscribatur, tum materia, metallum scilicet pretiosum, tum liga illius, qualis mixtura, qualis proportio ad ditamenti ad nucleum, ne pes excedatur, observanda; tum pondus gravitas nempe & levitas, atq; ut hæc uniformiter ab omnibus monetariis in Republica serventur, severe præcipiat. Id quod in *nostra Republica* factum esse nemo inficias ibit, cui modo unquam visæ sunt Ord. Mon. Ferdinandi I. & imprimis Ordinationes probatoriæ Circulorum Imperii in quibus prolixissimè & *materia & liga & pondus sunt determinata*. Insuper & decretum est, quotannis in singulis Imperii circulis binos dies (s. diætas ut aliqui loquuntur) *probationum* primum ad diem 1. Maij, alterum ad d. 1. Octobris instituere, ut ibi à Zygaſtatis circularibus & consiliariis Statuū monetarum omniū monetarum liga investigetur, & ejus aut approbatio fiat ut reprobato. vid. O. M. §. *ind damit die se. R. J. de anno 1566. Wiewohl denn auch. Et quavis olim liga apud omnes status non fuerit eadem quoniam vel materia vel operarii vel instrumenta non eodem sumptu poterant comparari, tamen in Comitibus Augustanis Anno 1557. controversia hæc est decisa & aequalitas sive uniformitas monetarum imperialium ab omnibus statibus servanda introducta est, ut patet ex R. J. de anno. 1551. §. *Nemlich als sich bishero &c. Ord. Mon. §. Demnach Uns Den n/* Ab hac autem uniformitate exclusus est *Imperator* noster cui ad compensationem laborum Imperii dicitur istud privilegium datum esse, concessumq; ut aliquantum leviori utatur liga, & singulis thaleris aliquos saltem numos ad summum quinque vel sex detrahat, prout hodie observari videmus.*

Th. XXII. *Valorem deniq; & characterem addere* itidem Principis & Majestatis est, Et quidem valor, si secundum rigorem Juris velimus agere, tantus esse deberet, quanta esset materia s. massa metallaris, cui attribuitur, & tunc moneta fieri deberet impensis publicis Principis vel Civitatis, id quod ab initio factum esse nonnulli existimant; At consuetudinem si attendamus, comperimus hodie in plerisq; si non in omnibus Rebus publicis eam

obtinere, ut Principi vel Reipublice concessum sit *expensas cu-*  
*lendi monetam*, quæ in fabros & officiales monetarios impen-  
duntur & *signoragii* nomine veniunt, *destrahere*, ut ita moneta  
valor aliquantulum sed non multum excedat pretium & valo-  
rem materię s. metalli. Quin imo Principi vel Reipublica con-  
cedi potest ut etiam deductis is expensis valorem ulterius augeant,  
& sic *lucrum quoddam* (quod tamē modicum sit) ex moneta senti-  
at non pauci statuunt. Vid. *Job. Aquil. Tr. de potest. & Utilit. monet. c.*  
*4. Didacus Covarruvias à Lyena l. c. c. 7. n. 5. Arum. cap. 9. Tr. 5 J.*  
*Publ. disc. 1. c. 14* Sic in nostro Imperio Ordin. Mon. certa aestima-  
tio omnium numorum tam Imperialium, quam peregrinorum  
usualium facta est, atq; hæc constitutio in omnibus penè Comi-  
tiis approbata est & confirmata, & insuper pœna certa nempe a-  
missio omnium numorum quibus novus valor impo situs, trans-  
gressoribus est definita l. c. §. *Wie aber diese &c.* Imo Statibus  
monetalibus concessum est, *impensas deducere* monetis præsertim  
minutioribus per R. J. de anno. 1551. §. *So halten wir Uns.*  
& alibi.

Th. XXIII. Eodem etiam modo *Figura* non nisi à Principe vel  
Principis nomine addi debet, quia ut Th. 12. dictum, est publica  
characteris, publica lege facta impressio, hinc non erit nisi illi-  
us, qui publicam legem potest ferre, adeoq; & nomen & imago  
vel symbolum vel quicquid ei imprimitur Principis esse debet, ita  
ut privatus, qui sua Imagine numos percutere ausus fuerit, *cri-*  
*men lese Majestatis* incurrat inquit Tholos. l. 35 Synt. c. 1. n. 5.  
Sic in nostro Imperio Ord. Mon. §. *Wie aber vorgestellte Sorten*  
&c. certus character, quo omnia numismata consignanda sunt,  
præscriptus est, uno scilicet latere Imperii Romani insignia h.  
m. posita, ut Aquilæ duorum capitum pectori pomum Imperi-  
ale insertum sit, cum numero valorem numismatis denotante;  
Altero v. Domini monetalis insignia cum inscriptione solita &  
numero anni; quæ tamen hodie non ita accuratè ab omnibus  
observari paiam est.

Th. XXIV. Porro ut Princeps id quod sui officij recte exsequa-  
tur sedulo prospiciat ut *probam bonamq;* habeat monetam *neque*  
*vel*

vel ipse mutationem quandam instituat vel per Conniventiam ab alijs eam fieri concedat, sed potius atrocibus pœnis tales mutatores coërceant. Dici enim vix potest quantum per frequentem mutationem malum in Rempublicam invehatur, quantum detrimentum mercaturæ & negotiatoribus inferatur, quanta deniq; discordiæ & altercationes inter cives propter contractus emtionis, venditionis, locationis &c. disseminentur. Quare qui sibi commissam habet monetæ potestatem non facile vel etiam quavis levi de causa, sed non nisi urgente necessitate mutationem debet suscipere, & si fieri potest prius consensum Procerum Imperij vel populi, horum enim maxime interest, requirere. Qua de causa in nostra Republica Statibus monetaribus severe interdictum est, ne unquam vel materiam vel valorem monetarum immutent, cum annexa pœna privatione scil. hujus potestatis, usq; dum innocentiam suam coram Camera Imperiali probaverit & si huic mandato noluerit morem gerere taliter delinquens ipso facto debeat esse a Imperio proscriptus ut habet R. J. de anno. 1566. §. in witerer berathschlagung & seqq. Multo autem minus Princeps concedere debet ut privati mutationem aliquam instituunt, & vel ipsimet monetas, quantum vis probas s. suos s. etiam Principis nomine privato tamen ausu & autoritate fabricent, vel ex viliori metallo, aut pretioso quidem sed velligæ levioris aut levissimæ aut injusti ponderis contra leges publicas, conficiant; vel valori publico aliquid addant de mantve aut characterem corrumpant vel immutent, sed potius pœnis etiam capitalibus pro ratione delicti in eos debet animadvertere & falsatoribus istis frena injicere, id quod in Imperio nostro factitatum esse testantur R. J. quamplurimi, ut & Ordinatio Criminalis Caroli V. Imperat. n. cXI ubi vel pœna exustionis vel confiscationis honorum vel etiam extraordinaria quædam & in Judicis arbitrio posita falsarijs est determinata, cujus prolixiorum explicationem qui expedit, adeat J C T O S. Si v. mutatio vel falsatio aliqua, vel ab ipso Principe vel per eius conniventiam in Remp: jamdum fuerit introducta, Principis est remedium quoddam invenire, quod bonitas re introducatur, quod melius ac facilius fieri nō posse, quam per reductionem monetalem, qua pristinus valor cu libet monetæ restituitur, constans

OK  
Th  
Bar  
stans præclarissimorum virorum sententia est vid. consultis.  
Dn. D. Leuberus in Tract de Reductione Monetali.

Th. XXV. Cum autem non satis sit ad felicem Reipublicæ  
statum, ut Princeps probâ cudi curet monetam, nec mutationem  
& falsationem vel ipse suscipiat, vel alijs concedat, quia sæpe  
adulterina moneta e regionibus vicinis importatur, ideoq;  
Principis interest, ut *nullo modo permittat peregrinas & adulterinas  
monetas Imperio inferri, sed omni eorum usu sub gravi poena om-  
nibus Civibus interdicit, neq; etiam aurum & argentum vel mone-  
tam suam probam exhibere confectam extra regionem duci patiatur*  
sed quantum fieri potest impediatur. Cujus rei exemplum ha-  
bemus non modo in Anglia & alijs Rebus publicis sed et in nostro  
Imperio, ubi usus monetarum peregrinarum expresse prohibi-  
tus, per R. J. de anno. 1566. §. Wir ordnen und wollen auch &c.  
& omnes species monetarum prohibitarum, tum aurearum  
tum argentearû, tum peregrinarum, tum ipsorum Statuum no-  
minatim expressæ in Ord. Mon. §. wie Wir denn h. imit/ & cer-  
ta poena, Amissio scil. istorum omnium constituta ibi §. Wel-  
che aber dieses Vertreten &c. Eodem modo etiam ijs est man-  
datum ne argentum aurum, vel imperialem monetam extra Im-  
perium ad vicinas Regiones deducant, per R. J. 1551. §. So ha-  
ben wir Uns & de anno 1571. §. Und soll das Vertretene aus-  
fuhren/ & transgressoribus hujus mandati poena definita est vel  
confiscatio omnium bonorum l. c. (1551) vel alia corporis pœ-  
na per Ord. Mon. §. nachdem auch. Istud tamen non volumus  
intellectum de omnibus monetis peregrinis, quasi nullæ planè in  
Republica essent tolerandæ, sed tantum de adulterinis, quæ non  
sunt factæ secundum leges Imperij, aliæ a. quæ probæ sunt nec  
contra leges monetales fabricatæ omnino possunt admitti, sicut  
& in nostro Imperio usus Angelotti, Rosenobilis & aliarum quarun-  
dam peregrinarum monetarum concessus est per R. J. de anno  
1571 §. Also dan auffhigen. Ista Ordinatio Monetalis & omnia  
quæ citavimus, in subsequentibus Comitij approbata non mo-  
dò sunt, sed & confirmata, ut liquidò constat ex R. J. de

Anno 1582. 1594. 1598 1603. & alij s.

Tantum.

1077




Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

**Kodak**  
LICENSED PRODUCT

**KODAK Color Control Patches**  
© The Tiffen Company, 2000

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



R O

*ultissimo ac Prudentissimo.*

**NEBEN.** Hæredita-  
ect. Saxon. Decumano dignis-  
reibergens. Consuli  
simo.

*Avunculo suo magno omni observantia  
devenerando.*

*non.*

*rerum experientia Celebratissimis Viris  
Germanis.*

**HDEN** Serenis. Elect.  
Brünhall Præfecto di-  
simo.

**ROHDE** Ejusdem  
netariorum Dresdensium  
tro meritissimo.

*Patruelig, reverentia cultis  
andis.*

*Academicum hoc exercitium*



D. D. D.

**TUS ROHDE.**

